

## §. 3.

Mornæus quidem citat, quos nudâ intellectus perspicacitate, in cognitionem mysterii proiectos sibi imaginatur, utpote Zoroastren (cum duo pluresve fuerint e jussdem nominis, uter sit, conjecturâ opus erit) sic perhibentem: *Pater perfecit omnia, & tradidit secundæ Menti, quam universum genus humanum tanquam primum colit; ubi per Secundam Mentem DEUM Filium innuere videtur: Prætereà Plethonem Gemistum Platonicum, hisce usum verbis: Qui Patrem sequitur, & à Patre genitus est, quemq; multi primum arbitratisunt, quia DEUS per cum creavit mundum: Mercuriam Trismegistum, sic pronunciantem: DEUS, qui intellectus est, & vita & lumen, λόγον s. Verbum peperit, qui quidem intellectus alter est omnium opifex, unaq; cum illo, & alium, qui DEUS igneus & divinitas Spiritus est. Similia refert Scaliger de Platonicis qvibusdam: Cum de magnitudine, inquietus, DEI scriberet Proclus, Jamblichus, Porphyrius, Plotinus, penè ubiq; tria statuerunt, quæ ab illis ita digesta sunt: τὸ πεῖραν εὐ νάντα. Ψυχὴ εἰ, καὶ πάντα: quia DEUS sit τὸ πεῖραν εὐ, neq; aliud, quām illa, qui cum creat, creat per εὐ, est ergo εὐ creator, idcirco faciunt illum esse omnia; anima vero gubernatrix est, minus simplex & remotior à principio: ideo εὐ absq; conjunctione, εἰ πάντα, anima, cum conjunctione, εἰ καὶ πάντα, propterea quod rectionis officium accipit à Creatore, & posterior est; haec tenus Scaliger. Triceps insuper in hunc usq; diem Chinenses Idolum habent, tñō corpore tria gerens capita, vultibus invicem amicè confpicientibus, de quō ajunt, idem velle & idem nolle his inesse; quod ipsum non obscurum DEI ter maximi inter illos extat indicium.*

## §. 4.

Verūm sicut in illos ipse ibidem statim animadvertis subtilissimus, & haud semel errasse, ostendit, dum Mentem mox dixerint αἰώνιον, mox alibi habere in se aliquid καὶ αἰώνιον, mox DEUM seu Patrem τεγαίων, ac si antecessisset ævum Filii, ψυχὴ gubernatricem autem s. Spiritum Sanctum longè faciant utrōq; inferiorem: ita tām isti quām illi, quos in scenam produxit Mornæus,

vel